Theses,

quas

Favente Deo

et

Consent. Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro

Examine Pastorali

miti bonorum censuræ

modeste offert

GUST. AD. MÖLLER,

V. D. M.

Die xv Maji MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

In Evangelio Johannis Cap. III vers. 19 particula *μαλλον* non vim comparationis sed oppositionis habere mihi videtur; verba tamen *ἠγαπησαν ὁι ἀνϑρωποι μαλλον το σκοτος, ἠ το φως* perbene, si placet, reddi possunt: dilexerunt homines tenebras potius quam lucem, imprimis quod ex sequenti versu patet homines lucem re vera odisse.

Th. II.

Non assentiri audemus sententiæ celeberrimi Schleusneri in Act. Ap. Cap. VIII vers. 22 particulam *ἀρα* per f o r t e vertentis. Quæ particula, cum in loco laudato dubitationem quandam non involvat, potius, me judice, explanantis significationis est, ideoque per n e m p e vel s c i l i c e t vertatur.

Th. III.

Ex orationis serie colligere liceat, Ap. Paulum in Ep. ad Romanos Cap. IX vers. 10 libertatem gratiæ divinæ exemplo ab iisdem personis petito confirmare velle. Hinc vocabulum *ἑνός*, ut opinor, e j u s d e m denotet.

Th. IV.

Pronomen relativum *ἀυτήν* in Ep. ad Hebræos Cap. XII vers. 17 æque bene ad vocabulum *ἐυλογια*, quæ remotius distat, atque ad *μετανοια*, quæ propius adest, referri posse videtur. Quod si *μετανοιαν*, ut in versione nostra suecana, per b o t (poenitentiam) reddere velis, ad remotius nomen potius pertinere crediderim.

Th. V.

Res complures vitio dantur Gregorio VII, hoc tamen boni in illo inerat, quod non severior et acerbior fuit in eum, qvem, a fide vulgari aberrantem, acriter adversarii oppugnabant.

Th. VI.

Ad hierarchiam stabiliendam idem Gregorius hæc tria præcipue spectavisse videtur, ut electio Pontificum ad clericos solos deferretur, investuræ jus adimeretur laicis atque coelibatus clericis imponeretur.

Th. VII.

Quam flebilis reipublicæ status sit, etiam in terris, quæ ceteroquin humanitatem præ se ferunt, ubi factiones politicæ et controversiæ religionis simul vigent, teterrimum præbet Gallia testimonium seculis XVI et XVII.

Th. VIII.

Ut vitium illud, in quod incidunt Fanatici, qui in sacris literis interpretandis omnia referunt ad vim atque lucem Spiritus Sancti internam, evitemus, diligenter videndum est, ne studia linguarum negligamus, nec a sensu discedamus verbali, nisi urgente vel orationis scopo vel analogia Scripturæ Sacræ.